

Grammatica Arabica / [Thomas Erpenius].

Contributors

Erpenius, Thomas, 1584-1624.

Publication/Creation

Leyden : 'Off. Raphelengiana,', 1613.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/v28f3zqh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



L. 16. 3.

U. LIII.

17/e


7198



The Marquis of Stafford.

ERPENIUS, T.

8
21-11-06
119



THOMÆ
ERPENI
GRAMMATICĀ
ARABICA.



Noachus Galloties
רְאֵבָנָה
וְעַמְלָה
עֲמָלָה
עֲמָלָה
עֲמָלָה
עֲמָלָה

LEIDÆ,
In Officina Raphelengiana,

1613.

16745



Nobilissimis Amplissimisq;,
ADRIANO A MATHENES,
Equestris dignitatis viro,
Domino in Mathenes, Opmeer, &c.

E T
CORNELIO VANDER MYLE,
Equiti aurato,
Domino in Myle, Bleskensgraue, &c.
Academiæ Leidensis Curatoribus:

NEC NON
Amplissimis Prudentissimisq; viris,
FRANCONI DVICK DE IODE,
NICOLAO HADRIANI A LEEVWEN,
IOANNI A BAERSDORP,
CASPARO A BANCHEM;
vrbis Leidensis Consulibus:

E T
Clarissimo Consultissimoq; viro,
NIC. A ZEYST, DD. Curat. à Secretis,
& Vrbis Syndico,
Dominis suis plurimum colendis.

Res certa est, & quæ probatione non indi-
get, Nobilissimi Amplissimiq. Viri, Lin-
guæ Arabicæ, quæ longè & antiquissima
& elegantissima est, cognitionem summè
utilem & necessariam esse, tū ad illustran-
dam linguam Hebræam & reliquas Orientales; tum
ad intelligenda infinita, eaque eximia in omni genere
scientiarum volumina, ab Arabibus, septingentis in-
tegris annis, quibus studia apud eos, per vniuersam fe-
rè Africam & Asiam, & Europæ quoq. Regnum Hi-
spaniam floruerunt, conscripta: tum ad restituendos
nostris hominibus veterum Græcorū & Latinorum
libros quamplurimos, qui apud Arabes integri extāt,
apud nos verò aut perierunt, aut corrupti admodum
& depravati solum reperiuntur; tum ad intelligenda
solidè, & confutanda pestifera impostoris illius & se-
ductoris Ismaëlitici, Machomedis inquam Mechanis
dogmata, quibus potissimum orbis Christiani partem
miserè seductam & implicitam videmus; tum deni-
que ad peregrinationes, & conuersationem cum po-
pulis plerisque Africanis & Asiaticis, apud quos vel
in usu vulgari est ea lingua, quales sunt Mauri, Nu-
midæ, Ægyptii, Arabes, Palæstini, Syri, & alii; vel
eum saltem obtinet usum, quem apud nos Latina,
tum priuatim apud doctos, tum publicè in Ecclesiâ
& foro, quales Turcæ, Persæ, Tartari, Indi, aliquæ:
ita ut post natas linguas, nullius vñquam linguæ usus
tam

tam latè patuerit. Vnde viri eruditione & prudentiâ excellentes quam plurimi, diu optârunt ut lingua hæc à Christianis quoque excoletetur, & in Academiis eorum cum Latinâ, Græcâ, & Hebraicâ publicè doceretur; quod & olim in Viennensi Concilio decreatum fuisse legimus: At quæ præterlapsis aliquot seculis regnârunt barbaries neglectusque literarum, id non permisere. Et superiori etiam seculo restitutio literarum Latinarum & Græcarum, & cultura quoque Hebraicarum, ingeniosis quibusque excellentioribus tantum exhibuit negotii, ut de huius linguae introductione & culturâ seriò iis hactenus vix licuerit cogitare. At nunc pulsatâ barbarie, & ad pristinum ferè nitorem linguis Latinâ & Græcâ reductis, & Hebraicâ quâm fœlicissimè quoque exultâ, hæc tandem quoque locum aliquem videtur naœtura. Itali certè eius culturæ & promotioni seriò videntur intenti. Typographiam enim Arabicâ instructissimam, atque elegantissimam, ex qua iam libri aliquot insignes, toto orbe celebres, prodiere, Romæ instituit GREGORIUS XIII. P. M. de quâ ornandâ & exercendâ, follicitus quoque nunc esse videtur PAVLVS V. qui & nuper edito sancjuit, *Vt in cuiuscunque ordinis & instituti Regularium maioribus ac celebrioribus Studiis, prater Hebraicâ, Gracâ, & Latinae lingue, Arabica etiam Doctores, qui eam actu & diligenter doceant, habeantur. Gallos quoque, Anglos, & Germanos eadem de studiis Arabicis ex-*

& promouendis cura tenet atque sollicitudo : multi-
que inter eos sic satis fæliciter incipiunt Arabicari.
Vestrīs autem, Viri Nobilissimi & Amplissimi, auspi-
ciis, studia quoque illa florescunt apud Belgas, in
Academiā vestrā, quam vobis Linguae Arabicæ amo-
re impulsis, professione eius publicā visum fuit in-
struere atque ornare. Ad quam cūm me adsciueritis,
sperantes fore ut fœliciter ei muneri præessem, omni
studio mihi puto contendendū esse, ne spem vestram
fallam. Vnde cūm sciam haudquam fœliciter lin-
guam hanc absque ope Grammatices doceri posse,
nec vllam hactenus à Christianis (nam ipsi Arabes
quā plurimas habent, & exactissimas) euulgatam
esse, quæ Philarabum desiderio satisfacere possit; vi-
sum mihi fuit in lucem edere breue quoddam Gram-
maticalium præceptorum σύνημα, quatuor ferè abhinc
annis, hortatu Clarissimi viri, eiusque linguae & stu-
diosissimi, & peritissimi ISAACI CASAVONI, (cui
quantum habent, tantum debent Musæ meæ Arabi-
cæ,) in Gallia à me conscriptum; ac congestum partim
ex meis obseruationibus, partim ex ipsorum Ara-
bum scriptis Grammaticalibus, quorum copiam
habui ab amicis meis summis, ac Arabismi cultoribus
eximiis, STEPHANO HVBERTO, Christianissimi
Regis Medico, ac Literarum Arabicarum in Acade-
mia Parisiensi Professore Regio; G VILELMO BED-
WELLO, Anglo, &, cuius paullò antè memini,

ISAACO

ISAACO CASAVBONO; qui simul atque me, &
Arabicæ linguæ in me desiderium nouisse cœpit, sta-
tim omnem mihi supellecilem suam Arabicam vltrò
communicauit: vtque Grammaticam meam, horta-
tu, vt iam dixi, eius conscriptam vidit, suo eam com-
probauit calculo, inde sinenterque optauit, vti publi-
ci fieret iuris. Eam igitur nunc, politam nuperrimè
à me non nihil & auctam, quò spei vestræ quam de me
concepisti respondeam, fæliciterque & cum fructu
Arabum linguam doceam, typis euulgo; Vestræque
Amplitudini Dedico & Consecro, tum vt meæ erga
Vos gratitudinis & observantiæ sit τεκμήριον, tum vt
Philarabis omnibus melius constet, editionem eius
Vobis, qui huic memuneris præfecistiſtis, acceptam esse
referendam: Vosq. vehementer etiam atque etiam
rogo, vt leuidense hoc munusculum, studiique mei
Arabici primitias æqui boniisque consulatis. Valete:
Academiæque & Reip. diu viuite incolumes. Leidæ,
decimo tertio Calend. Septemb. anno à nato Messia.

M. D. C. XIII.

*Ampl. Vestrae
addictissimus*
THOMAS ERPENIUS.

AD LECTOREM.

RATIONEM operis, studiose lector, nullo negotio intelliges. Hoc unum monere te solum est visum: cum plures concurrent voces Arabica nullâ vocalâ, aut distinctione Latina separata, initium lectionis ab eâ faciendum esse, qua Latino more ultima foret: alioqui inchoandum esse ab illâ dictione, que vocalam Latinam et, aut similem, vel distinctionem commatis, aut aliam post se habet. Errata inter excudendum commissa ad calcem operis annotata inuenies: ea velim, ante quam ad lectionem eius te conferas, diligenter corrigas. Vale, & primitiis hisci studii nostri Arabici feliciter fruere: certusque es to, mediocrem si adhibeas diligentiam, paucis admodum mensibus, auxilio huius opusculi nostri omnem te Arabica lingua difficultatem superaturum; sancteque affirmatum, Linguarum omnium nobiliorum hanc esse facillimam.

THO-

THOMÆ ERPENII
 GRAMMATICAЕ ARABICAE
 Liber Primus,
 DE
 ORTHOGRAPHIA.

CAPVT PRIMVM

De Literis.

ARABVM literæ consonantes sunt xxviii: quarum nomina, ordinem, & figuræ cum suis potestatibus sequens tabella exhibit.

Ordo.	Nomen.	Potestas.	Figura.			
			in fine dictionis, annexa præced.	non annexa præced.	extra finem dictionis, annexa præcedenti.	non annexa præcedenti.
1	Eliph	أَلْفٌ ⁽⁹⁾	ا	ا	ا	ا
2	Be.	بِاءُ ⁽⁹⁾	ب	ب	ب	ب
3	Te.	تِاءُ ⁽⁹⁾	ت	ت	ت	ت
4	Tshe	ثِيَاءُ ⁽⁹⁾	ث	ث	ث	ث
5	Gsim.	جِيمٌ ⁽⁹⁾	ج	ج	ج	ج
6	Hha.	حَاءُ ⁽⁹⁾	ح	ح	ح	ح
7	Cha.	خَاءُ ⁽⁹⁾	خ	خ	خ	خ
8	Dal.	دَالٌ ⁽⁹⁾	د	د	د	د
9	Dshal.	ذَالٌ ⁽⁹⁾	ذ	ذ	ذ	ذ

Spiritus lenis Græcorum, & Hebræorum.
 B.
 T.
 T blæsum.
 Gallorum ante e & i.
 Hebræum, id est, duplex H ex imo pectore protractum, ه, هـ. Ch seu خ Græcorū cum ratiōne gutturis.
 D.
 D blæsum.

THOMAE ERPENII

2								
10	Re.	رَأْ	R.	رَأْ	رَأْ	رَأْ	رَأْ	رَأْ
11	Zc.	زَأْ	Z, aut S inter duas vocales.	زَأْ	زَأْ	زَأْ	زَأْ	زَأْ
12	Sin.	سَيِّن	S initio dictionis, aut post consonantem:	سَيِّن	سَيِّن	سَيِّن	سَيِّن	سَيِّن
13	Sjin	سَيِّن	Sj Belgarum, ch Gallorum, Sch Germanorū, & Sh Anglorum.	سَيِّن	سَيِّن	سَيِّن	سَيِّن	سَيِّن
14	Tfad.	صَادْ	TS, sed ita vt S magis quam T audiatur.	صَادْ	صَادْ	صَادْ	صَادْ	صَادْ
15	Dshad.	ضَادْ	Idem blæscē.	ضَادْ	ضَادْ	ضَادْ	ضَادْ	ضَادْ
16	Ta.	طَاءْ	T in gutture pronuntiatum.	طَاءْ	طَاءْ	طَاءْ	طَاءْ	طَاءْ
17	Dsha.	ظَاءْ	Idem blæscē: vix differt.	ظَاءْ	ظَاءْ	ظَاءْ	ظَاءْ	ظَاءْ
18	Ain.	عَيِّن	ع Hebr. difficilima litera.	عَيِّن	عَيِّن	عَيِّن	عَيِّن	عَيِّن
19	Gain.	غَيِّن	G in gutture pronuntiatum.	غَيِّن	غَيِّن	غَيِّن	غَيِّن	غَيِّن
20	Fe.	فَاءْ	F.	فَاءْ	فَاءْ	فَاءْ	فَاءْ	فَاءْ
21	Kaf.	قَافْ	K in gutture pronuntiatum.	قَافْ	قَافْ	قَافْ	قَافْ	قَافْ
22	Kef.	كَافْ	C ante a o u, id est K in anteriori parte oris.	كَافْ	كَافْ	كَافْ	كَافْ	كَافْ
23	Lam.	لَامْ	L.	لَامْ	لَامْ	لَامْ	لَامْ	لَامْ
24	Mim.	مَيمْ	M.	مَيمْ	مَيمْ	مَيمْ	مَيمْ	مَيمْ
25	Nun.	نُونْ	N.	نُونْ	نُونْ	نُونْ	نُونْ	نُونْ
26	Waw.	وَوْ	W nostrum, Germanicum, Anglicum.	وَوْ	وَوْ	وَوْ	وَوْ	وَوْ
27	He.	هَاءْ	H.	هَاءْ	هَاءْ	هَاءْ	هَاءْ	هَاءْ
28	Ie.	يَاءْ	Heb. id est J consona, quam caueat Galli suo more pronuncient, is enim sonus nō est.	يَاءْ	يَاءْ	يَاءْ	يَاءْ	يَاءْ

GRAM. ARAB. LIB. I.

3

De Nominibus literarum.

NOMINA hæc *τεχνικὰ* sunt, vt apud nos Be, Ce, El, Em, Ix, Zeta, &c. quod si quædam aliud etiam significant, casu sunt æquiuoca. Declinantur autem Arabibus more reliorum nominum, vnde terminacionem *on* in nominatio adsciscunt, quam ego breuitatis causâ Latinè non expressi, vt ipsi quoque Arabes in recitatione Alphabeti sui eam negligunt. Elif etiam *Hamza* vocatur: ratio post patebit.

De Ordine.

ORDO iste nunc apud vniuersos Arabes in vsu est, nisi quod non nulli *وَ* *وَ* postponunt, & Mauri plerique paulo alium malunt usurpare, quem decem fictis vocabulis in hunc modum repræsentant.

ج	ت
ط	ذ
م	خ
ف	ظ
ل	ض
ر	غ
ي	ش

Olim Hebræorum ordo obtinuit, sex illis asperioribus, quas hi non agnoscunt, ad finem adiectis; cumque hisce vocibus artificialibus exprimunt.

هـ	أـ
كـ	خـ
قـ	سـ
ضـ	تـ

De figuris literarum.

SEPTEM scripturæ Arabicæ reperiuntur genera, quorum

Primum & potissimum est **فُسْخَى Nischi**, quo Alcoranus vulgo apud illos solet scribi, apud nos autem libri excudi.

Secundum **تَعْلِيق Taalik**, quo Persæ vtuntur, quiqe ad *Nischi* se habet vt typi Hebræi Henrici Petri ad typos Plantinianos aut Bombergianos.

Tertium **دِيوانِي Diwani**, quod in forensibus & quotidianis negotiis Turcæ usurpant, maximè cùm Turcicè scribunt; habetque se ad *Nischi* vt *Misket* Hebræorum ad scripturam Assyriacam. Ad huius scripturæ elegantiam pertinere videtur, quòd lineæ in progressu ascendunt, maximè versus finem: raro enim quid hâc scripturâ expressum videoas in quo id non contingat.

Quartum **قِرْمَة Kirma**, cuius usus ferè tantum est in tabulis accepti & expensi Imperatoris Turcarum. hoc minus attentè consideratum similius videtur esse scripturæ vulgari iudeorum quam *nisi Nischi*: literis enim constat exiguis, nec inuicem connexis.

Quintum est **شَكْسِي Sjaksi**, in titulis librorum & diplomatum adhiberi solitum, habetque se ad *Nischi* vt maiusculi illi characteres Latiní, quibus librorum tituli apud nos excudi solent, ad characteres communes: literæ enim cædem sunt quæ *Nischi*, sed multò maiores & pinguiores, mireque elegantibus ductibus cohærentes.

Sextum est **رَاحْنَى Iakuti**, & septimum **رَاحْنَى Rabani**, sic dicta ab auctoribus suis **يَا قُوتِي** & **رَاحْنَى** qui ad maiorem scripturæ venustatem, vt sunt Arabes καλλιγραφias studiosissimi, peculiares quosdam literaturum ductus & nexus suo quisque modo excogitarunt.

Hicce octauum addi queat *Mauritanicum*, quod satis multum à præcedentibus differt, quâ de re post non nihil.

Nos typorum inopiâ primæ tantum scripturæ tanquam præcipue & primitiæ, quâque cognitâ reliquæ nuslo ferè negotio addiscuntur, lite-

literales figuræ proposuimus in tabula alphabetica, cuius prima columna primarias & quasi genuinas quæ in principiis dictionum adhiberi solent exhibet, reliquæ secundarias, quæ ex illis celerioris scriptioñis & ornatus gratiâ deflectuntur, dum videlicet cum præcedentibus connectuntur, vel in fine liberiori quodam tractu protrahuntur, vnde omnes post آدَرْزُو quæ connexionem cum sequenti repudiant, ut initio pinguntur, nisi in fine protrahendæ sint. Tamen نَسْ ل̄ subiungendum peculiare quiddam habet: nam aut separatim illi apponitur & quasi cadens includitur, sic ل̄, idque tum maximè cum ل̄ præcedenti annexitur, aut cum illo in unum coalescit hoc modo يَل̄, quum ل̄ non cohæret cum aliâ: atque istæ literæ sic coniunctæ nomine composito vocantur *Lamelsif*, ac si una essent; vt & quidam opinari videntur dum ultimæ alphabeti literæ eas præponunt; at male.

Literæ autem separati extra dictionem repræsentandæ figurâ finali illigabili exprimuntur: vt، يَمْلَبِ.

Variant interdum, in codicibus manuscriptis præcipue, vt non omnes uno modo & æquè bene pingunt, figuræ nonnihil à suprà positæ, sed ea variatio tanta est, vt facile nec regulis comprehendendi, nec typis repræsentari possit: tu talia exemplaria nactus diligenti consideratione & cum his nostris collatione facilè eas agnosces & obseruabis, etiam in omni scripturæ genere: essentialē enim ab his differentiam non habent, nisi quod Mauri *Kaf* uno puncto supernè insigniunt, hoc modo فَ، نَسْ *Fe* verò, vt ab illo differat, suum apicem subiiciunt, in hunc modum بِ: quâ quidem notâ certò dignosces codices eorum ab iis qui in Oriente exarati sunt.

Orientales autem pro triplici puncto سَ lineolam interdum adhibent hoc سَ aut hoc سَ modo. Vtrique compendii gratiâ omitunt subinde puncta illa مَخْتَنَة, quibus solis figuræ quædam diuersarum literarum distinguuntur, vt قَفَخَ حَجَّتَ بَ vnde

scriptura exsurgit lectu & intellectu difficillima: parum est quod interdum in vnâ & alterâ literâ negligantur quæ absque iis facile agnoscuntur, ut in le finali hoc modo scripto, quod passim accidit.

Plerumque tamen puncta illa ~~excentra~~ solent adiici, quin & iis figuris
quæ illorum absentiâ ab aliis discernuntur, scilicet ح ص ط ع
quædam interdum apponi notæ significantes debitam punctorum
absentiam, ت س ح و ق quidem supernè istæ hoc modo ح و ق , re-
liquis verò infernè similes illis aliæ minori ut plurimum formâ, sic
ح ص ط ع . Idem subinde س و م contingit, cui & eadem de causa
ح ص ط ع interdum tria puncta subiiciuntur, hoc modo س و م . Ira س
He finali aliud superponitur in hunc modum ئ indicans absentiam
punctorum quibus interdum insignitur, de quo postea Hæc tamen
hodie raro & non nisi in accuratissimè scriptis obseruantur.

Figurarum in dictione, & dictiorum in linea ea est consequitio quæ Orientalium ferè omnium, à dextrâ scilicet sinistrâ versus.

Pleraque autem figuræ basi lineæ incumbunt, nec ullæ infra eam deprimuntur præter **وَرْزَقَ** & **لَا** itemque finales protractas, unde annexedæ literis quæ ductum suum in basi lineæ terminant, ne ipsæ deprimantur, eas cumque iis sèpè alias connexas eleuant: ut **الْمُخَاطِبُ**, **الْتَّجْرِبَةُ** *experientia non* **تَجْرِبَةٌ** *sic: colloquens,* **الْمُخَاطِبُ** *remotio, &c.*

remotio, &c. Quæ autem vnius sunt dictionis, iuste
à se inuicem separatae sunt, nec nimis magnis distantiis aut vinculis
se mutuo consequuntur, nisi linea quantitas obstet: dictio enim in fine
eius scribenda si satis loci non reperiat, admittit inter inconnexas
grandius spatium, ac inter eas in duas partes secatur; quarum prior li-
neam reliquis adæquat, posterior in margine ponitur, hoc modo.

كُلُّ الْجَنَّادَ، يَحْتَذِي دِهِ الْحَا فِي
^o*mini calceo calcatur gubernaculo*

Crebrò

Crebro tamen priori superponitur, sic

الْحَيَا يَمْنَعُ الرِّزْقَ *Verecundia prohibet largitionem.*

Interdum initio sequentis linea^e collocatur, quod perpetuo obseruant libri typis excusi. Si autem dissectionem istam dictio aliqua comodè non admittat, tota initio sequentis linea^e reseruatur, & ad linea^e complementum præcedentis dictionis vinculum aliquod producitur in hunc modum:

**فِي الْبَدْءِ كَانَ الْكَلِمَةُ وَازْكَرْمَةُ كَانَ عَنْهُ الْأَذْكُرُ
وَاللَّهُ هُوَ الْكَلِمَةُ كَانَ هَذَا قَدْ يَمْنَعُ الرِّزْقَ**

*In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.
erat hoc aeternum apud Deum.*

Quæ vinculi productio in principio aut medio linea^e etiam interdum adhibetur ornatus gratiâ, maximè in trito illo:

اللَّهُ الرَّحْمَنُ الرَّحِيمُ

In nomine Dei miseratoris misericordis.

رَبُّ

Dictionum à se inuicem distantia maior quām quæ est literarum vnius dictionis in manuscriptis vix obseruatur, quod fines earū figuris literarum finalibus ut plurimūm facilè cognoscantur: At periodorum sic satis magna ferè adhibetur, quin & notis hisce ۞ * * * • .. & similibus, itemq. ۞ & ۞ fines earū non raro indicantur, quæ tamen necessitate aliquā urgente periodi membris distinguendis inseruiunt: particulates enim distinctionum & certarum orationis qualitarum notas extra Alcoranum non facile est reperire: at in eo ۞ minio voci supernè adscriptum periodi finem, aut colon designat, vt ح hypocolon, & ل comma, nisi, quod malim, hoc vunionis potius quām distinctionis notam esse statuas: triplex autem punctus crassus & caudatus hoc modo .., & in quibusdam exemplaribus unus solùm sic ، rhythmi nota est,

non.

non distinctionis, et si rhythmo sententiæ non raro terminantur. Atque hæc diabolico illi libro peculiaria sunt, ut alia pleraq., de quibus alias. Ait Theseus Ambrosius • commatis, : coli, .. hypocoli, : interrogacionis, : responsionis, & periodi apud Arabes notas esse: sed fides sic penes auctorem.

Πάρεργον.

Solent Arabes Christiani & Iudæi odio Mahomedanorum pleraque sua quæ ad religionem spectant scripta Arabica alio charactere consignare, illi quidem Christiano, id est Syriaco, hi verò Iudaico, id est Hebreo. Ac tum literas ض & ظ more Arabum formant ab affinium figuris apposito puncto in hunc modum ﴿ ﴽ : خ autem & غ à Caf & Gimel, Iudæi quidem superscripto raphe, hoc modo ڦ ڻ, quibus ڦ est ح & ڻ ل : Syri verò subscripto puncto, sed soli Caf, sic ڻ, nam Gimel manet nudum, cui vt repræsentet ح punctus inscribitur, hoc modo ڻ. Literis autem د & ش exprimèdis Syri ل & ش, id est figuræ ته nullo constituto discriminè etiam adhibent: secus Iudæi, qui has cum daghes, sic ڻ, illas cùm raphe, in hunc modum ڻ ڻ, exprimunt, vt tale sit vtrorumque alphabetum Arabicum.

ابات ش ج ح د ذ ر س ش ص ض ط ظ ع غ ف ق ك ل
آب ت ه ح د ذ ر س ش ص ض ط ظ ع غ ف ق ك ل
آد ل ه ح م س ج د د و ف و ف و خ ط م ف ك م ه ل
م ن ه و ي
م ن ه و ي
م ل ه و ي

vn le scriptura exsurgit huiusmodi:

يا نفسي باركي الرب وكل احساني فلتسبح اسمه
القدوس يا نفسي باركي الرب ولا تنسي كل جواه
لأنه غافر جميع اثامك ومشفي كل استقامتك ومنقاد من
الـ

الفساد حباتك يسلفك بالرحمة والرقة يعطيك
شهواتك من الخبرات يجدد شبابك مثل النسر.

וא נפתי בארבי אלרב וככל אחשאי פלחטב אסמה אלקומות יא נפתי בארבי אלרב ולא
חנתי כל גזאח לאנה גאנדר נמייע אהאנס ומטפי כל אסקאנס ומנקע טן אלפנסאך חיוחן
ויטסלך באלהרחה ואלהראטה עטיך שוחחן טן אלכיראת יגוז שבאבך מהל אלנסר:

يَا نفثه حافظ لاذت ۱۵۰ اسعاف حلا حس اهدى
لاغيمه مانعه حافظ لاذت ۱۵۱ ليعه دل جوات لابس
لاغيمه حمد אַמְדָה מִלְמָדָה حלה אַמְמָדָה מִלְמָדָה
لاغيمه אַמְדָה מִלְמָדָה מִלְמָדָה حלה אַמְמָדָה מִלְמָדָה
حمد אַמְדָה מִלְמָדָה حלה אַמְמָדָה מִלְמָדָה

*O anima mea benedic Domino, & omnia viscera mea laudent nomen eius sanctum:
O anima mea benedic Domino, nec obliuiscere retributionum eius: nam ipse remittet omnia peccata tua, & sanabit omnes morbos tuos; liberabitque ab interruu vitam tuam;
Coronabit te misericordia & benignitate; dabit tibi desideria tua ex bonis; renouabit iuuentutem tuam ut aquila.*

De Potestate figurarum.

POTESTAS seu valor figurarum est quod ipsæ tanquam signa repræsentant: estque primaria aut secundaria: primaria est ipse literatum sonus, quem aliarum linguarum characteribus, quorum valor notus est, in tabula quam potuimus conuenientissimè expressimus, quod in plerisque commode satis fieri potuit, in aliis non item. præcipua difficultas est in حضن خد ضطبع، maximè in حضن quale viuam docentis vocem requirunt.

De solis چ & ڻ pauca quædam hîc addenda sunt: ex enim valorem suum interdum mutant: ڻ quidem in eum qui est ت، in cuius indicium huius puncta supernè assumit hoc modo ڻ: quod in finibus nominum tantum accidit, ad genus fœmininum aut plurale designandum, ut post fiet manifestum.

چ autem vocali destitutum, positumque immediate ante aliud چ

aut literas **جَهْنَمْ** retinet quidem proprium sonum, non secus ac si vocalem possideret, inque eius indicium supernè insignitur Nun rubro, vt **أَنْجَارٌ** **جَهْنَمْ** **عَبْدُ اللَّهِ** à seruo Dei: sed ante alias sonum variat: Nam,

1 Ante **ب** sonat vt Mim; idq. indicat Mim rubrum ei superscriptum, vt **عَنْبَرٌ** ambaron, nō anbaron, **أَنْبَرٌ** ambra من بیس mim beitin, non min beitin, de domo. Sic Latini & Græci N ante B in M mutant: vt imbibo, **إِمْبَابُو**, pro inbibo, **إِنْبَابُو**:

2 Ante **لَوْمِيْرٌ** accipit sonum sequentis, superposito Gain rubro, & apposito ad **لَوْمِيْرٌ** duplicitatis notâ tesdid, de quâ postea: vt, من رُبْتِ **لَيْلٌ** mirrabbin, non min rabbin, à domino من **لَيْلٌ** milleilin, non min leilin, à nocte. Sic Latini & Græci illicitus, immunis, **إِلْيَصَّا**, **إِيمَانِيَا**, pro inlicitus, inmunis, **إِلْيَصَّا**, **إِيمَانِيَا**.

3 Ante reliquas sonat N. cum G mixtum, quomodo Turcæ ك non raro pronuntiant, & vulgo nunc solet efferri v Hebraum: ciûsque foni nota est Cha superscriptum, & rubedo puncti & Nun: vt **أَنْجَالَة** angzala, non anzala, **دَمِيْسِ** ming tinin, non min tinin, ex luto. Ante **قَ** autem & **لَ** Gillud ن نadiunctum est manifestius, sonusque ille mixtus fortior & vehementior, idque indicat punctum ن Nun rubricâ triplicatum, vt **مَنْجَلِبٌ** من **كَلْبِيْهِ** mungkalabon cœursus: من **كَفِرِ** ming kalbihi ex corde suo: **كَلْبِيْهِ** من **كَلْبِيْهِ** mungkedaron, cœturbatus: meng kefera qui infidelis est. Sic & N apud Latinos ante C eum quoque sonum vulgo habet: vt, incumbo, incredulus, quæ pronuntiamus ingcumbo, incredulus; & similiter apud Græcos ante K, sed in γ mutatum vt συγκαλω, αιφαγησε.

Secundaria figurarum potestas sunt numeri, quorum notæ sunt eodem modo quo Hebrais suæ: alphabeti enim ordine antiquo (vt supra) descripti primæ ix literæ vñitates exprimunt, ix sequentes denarios, reliqua

quæ centenarios, vltima millenarium: cæteros additione supplent sicut Hebrei, vt sit ا 11, ب 12, ج 13, د 14, هـ 15, كـ 21, لـ 23, غـ 30, شـ 100, قـ 1000, &c.

Reperiuntur tamen etiam in antiquissimis libris peculiares numerorum figuræ, quas ex codice meo Euangeliorum anno à nativitate Christi 1272 exarato, & vetustissimo chronico, lubet hîc exprimere.

ا	بـ	جـ	دـ	هـ	كـ	لـ	غـ	شـ	قـ
—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
۱	۲	۳	۴	۵	۶	۷	۸	۹	۱۰
۲۰	۴۰	۶۰	۸۰	۱۰۰	۲۰۰	۳۰۰	۴۰۰	۵۰۰	۶۰۰
۱	۲	۳	۴	۵	۶	۷	۸	۹	۱۰

Sic centenarii qui sequuntur & millenarii peculiaribus proculdubio etiam characteribus indicantur, sed mihi nondum visis. reliquos ex his componunt more nostro: sic ا est 12, بـ 37, هـ 9 14, &c.

Recentiores Arabes alias etiam ab Indis mutuati sunt, quas & his adiiciendas duximus.

$\text{ا} \text{ بـ} \text{ جـ} \text{ دـ} \text{ هـ} \text{ كـ} \text{ لـ} \text{ غـ} \text{ شـ} \text{ قـ}$

۱ ۲ ۳ ۴ ۵ ۶ ۷ ۸ ۹ ۰

His eodem prorsus modo vtuntur quo nos vulgaribus istis nostris; vt ا sit 10, بـ 11, جـ 12, دـ 20, هـ 30, كـ 100, لـ 400, غـ 1000, شـ 141, قـ 1613, & sic cætera. Obseruandum autem est pro decima(.) non raro usurpari quintam ۰: sed tunc quinarius hâc figurâ exprimitur ۹: sic ۱۰۰ est 100, ۱۹۹ 155.

Sed ad figurâs nostras literarum reuertamur: quarum dupli valori addi videtur posse tertius, quo compendii gratiâ signa integrarum distinctionum sunt, assumptâ vt plurimum supernè hac figura in mysterii huius indicium: idque accidit vocabuli significandi, si solum sit, literæ primæ; vt ا pro بـ , بـ جـ جـ pro جـ , جـ plurale, كـ

B 2 pro

بِحَمْرَةِ طَرْفِ الْمَنْعِلِ، إِنْ كُلُّهُ مُحْمَدٌ إِلَّا هُوَ إِلَيْهِ كَافِيٌّ، إِنْ كُلُّهُ عَلِيمٌ إِلَّا هُوَ صَادِقٌ
 pro finis; si cum aliis coniunctum, vel primæ, ut Efficax (scilicet est Deus,) director (fidelium,) manus eius (sustentat omnia,) sciens (omnia,) verax (in promissu suis.) vel alii, puta primi vocabuli primæ, medii mediæ, ultimivltimæ, ut
 مَنْ يَقُولُ إِنْ كُلُّهُ اللَّهُ إِلَّا هُوَ الْمُعْلِمُ، فَإِنْ كُلُّهُ الْمُعْلِمُ إِلَّا هُوَ اللَّهُ أَعْلَمُ
 Ego Deus sum sapientissimus.

CAP V T S E C V N D V M.

De diuisionibus literarum.

DIVIDUNTUR hæ literæ multifariam, ratione scilicet pronuntiationis, roboris, affinitatis, officii, & societatis.

Ratione pronunciationis: in Gutturales, quæ nullum certum linguæ situm aut labiorum motuim requirunt, sed in ipso guttura efforman-
 tur, suntque أحْخَعَةٌ

Labiales, quæ labiorum operâ pronuntiantur، بِمُكْبِتِهِ.

Palatinas, quæ effertuntur mucrone linguæ inferius palatum tangente, & interiori eius parte superius palatum pulsando sonos distinguen-
 te, & sunt جِيقَانٌ.

Dentales, quæ proferuntur mucrone linguae tangente superiores den-
 tes, vel inferne ظُلْمَنْ، vel internè ظُلْمَنْ.

Linguales, quæ proferuntur mucrone linguae superius palatum mobi-
 liter tangendo, suntque رُسْشَصْ. Hæ vna cum dentalibus Solares
 vocantur, vt reliquæ omnes Lunares.

Ratione roboris diuiduntur literæ in Debiles, quæ inter pronuntian-
 dum interdum eneruantur, sonoque proprio amissio alii inseruiunt,
 quales sunt tres أَوْيٌ؛ & Robustas, quibus id non accidit, quales reli-
 quæ omnes.

Ratione affinitatis, in Permutabiles, quæ facile inuicem commutan-
 tur, quales ex ferè omnes sunt quæ eiusdem sunt organi, maximè ضَطْ، item-

ظ, itemque Debiles اوی ; & Inpermutabiles, quæ non permuntantur inuicem, ut pleraque aliæ.

Ratione officii, in Radicales, quæ radicem ipsam seu thema perpetuò constituunt, quales sunt حج حذف رزش صنط طغف, & Seruiles, quæ deriuatis formandis, & accidentibus radici inducendis non raro inseruiunt, quales reliquæ: quin & ط etiam interdum pro seruili veniunt. sed de his postea.

Ratione societatis, in Compatibiles, quæ mutuò se in eâdem dictio-
ne consequi possunt, & Incompatibiles, quæ coniungi recusant.

Incompatibiles sunt

Gutturales خفخة interdum tamen & ع subiungitur.

م ق & ب At Nun ante Be sonum م Mem induit, ut iam monui.

ث & ت

ض & ش

ظ ط ض ص س & ث

خ ط ض & ص

ك ق غ & ج

ظ ط & ض

ك ف ظ & خ

ك ظ & ط

د د & د

ق غ & ظ

ظ ط ض ص د & د

ك ق & غ

ل ل & ر

ك & ق

ظ ض ص & ز

ل ن & ل si voculam

ض ض ص & س

exceperis.

At seruiles his inclusas ut radicem constituentes accipio: actu enim

B. 3 cùm

cum seruiunt, cuilibet literæ adiungi possunt. vt, ^{نَصْبٌ} ^{argento}, ^{تَسْبِيتٌ}
confirmabis, لِرَبِّ ^{domino}, كَوْلَكِي ^{ut si dicas, &c.}

Duae quoque similes initio dictionis quam rarissimè concurrunt, nisi prior seruiat. Et ^{نَ} vocali destitutum in medio dictionis raro ponitur ante literas ^{كَوْمِيْز}. ^{كَوْمِيْز} autem carens vocali, etsi interdum scribitur ante ^{كَوْمِيْز}, nunquam tamen pronuntiatur; quâ de re cap. 4.

Reliquæ omnes Compatibiles sunt, quamuis aliæ aliis sæpius coniunguntur.

Huius obseruationis usus est ad ea scripta quæ punctis essentialibus consonantium destituuntur melius legenda, corrupta restituenda, ambigua determinanda, & denique vocabula Arabica à Barbaris discernenda.

C A P V T T E R T I V M.

De vocalibus.

CONSONANTES ex claustris oris educuntur à vocalibus, quarum tabella hæc est.

Nomen.	Figura.	Potestas.
Phatha ^{فَتَحَّةٌ}	ب	Nunc ^أ purum & clarum, vt in <i>amabam</i> , nunc cum ^{هـ} mixtum, id est ^{ئـ} Græcum vt multi id nunc pronunciant.
Dshamma ^{ضَمَّةٌ}	ب	Nunc ^{ئـ} purum & clarum, nunc cum ^{وـ} mixtum, id est ^{وـ} obscurum.
Kesre ^{كَسْرَةٌ}	ب	^{ئـ} simplex.

Literam ب singulis adieci, vt vnâ operâ situm earum docerem, quo solo prima & vltima discernuntur: vtraque enim lineola est, apud Orientales quidem à dextra sinistram versus descendens, vt tabula eas exhibet, apud Occidentales verò prorsus iacens, hoc modo ب. Quare interdum perpendiculariter pingatur in hunc modum ^ا post fiet manifestum.

Valet

Valet autem Phatha & clarum, & Dshamma o obscurum, cùm ponuntur supra vltimas dictionum literas, aut supra:

خُنْصُض ظَطْعَفْ

خَلَقَ اللَّهُ الْعَالَمَ وَكَلَمًا فِيهِ وَهُوَ لَا خَلَقَ مِنْ أَحَدٍ

Chalaka llahō lalema wakollama fibi wahsa la cholska min abadin. id est: *Creavit Deus mundum & quidquid in eo est, ipse autem non est creatus à quoquam.* alias illud nunc & clarum, nunc cum e mistum, id est & Anglorum ai Gallorum, ut in male, faire, hoc nunc uclarum, nunc cum o mixtum, id est o obscurum Belgarum & Italorum; vt in locht, dolce: quod vsu discendum est.

exempluim esto: **كَانَ اللَّهُ مَعْنَا مِنْ يَكُونُ عَلَيْنَا** In can-

In cana llaho maana men jecano aaleina. Si Deus est pro nobis, quis erit contra nos?

Accidit his vocalibus Productio & Nunnatio.

Productio est soni simplicis roboratio, & quasi duplicatio, ita quidem vt

Phatha sonet & circumflexum seu longum, quomodo nostrates prouuntiant æ; exempli gratia *maer / daer.*

Dshamma u longum, vt Germani id pronuntiant, id est & Græcorum, & Belgarum, ou Gallorum: *ne, hoer, vous.*

Kesre i circumflexum seu longum, ie nostrum, vt *miet / riet.*

Quod tum iis accidit cùm habent post se literas **أُو** vocalibus substitutas,

Phatha quidem ا, vt **قار**, KĀR.

Dshamma verò و, vt **قور**, KŪR.

Kesre autem ب, vt **قير**, KĪR.

Exuunt enim in tali statu literæ istæ potestates suas, (vnde vulgo dicuntur quiescere) & naturam vocalium præcedentium induunt, cùmque iis in vnam longam coalescunt.

Nunnatio est additio soni Nun ad sonum earum, ita vt sonent an, on, in, sintque syllabæ inversæ potius quàm vocales: quod accidit iis tantum ad extremas nominum literas; eiúsque in scriptura indicium est duplicatio figuræ, hoc modo, ب vel ب, ب, ب, ب, vel ب, ب, ب, ب, ب;

quaæ

quæ sonant دُنْ، بُنْ، بِنْ، *ban*, *bon*, *bin*: vnde & Nun quod in iis includitur conditionibus illis mutationis subiectum est, quibus subiectum esse dictum est capite primo.⁶⁹ autem nisi ponatur supra 8, aut⁷⁰ pro I positum, assumit post se I , hoc modo بَأْ, absque ullo soni augmento. Et⁶⁹ compendii gratia non raro sic pingitur⁷⁰ ۱۹۹۷.

CAPVT QVARTVM.

De syllabis, ubi de Gje ζ m & Tesdid.

Ex consonantibus & vocalibus consurgunt Syllabæ, ita ut in pronuntiatione consonæ vocales semper præcedant: nulla enim syllaba Arabica à vocali inchoatur, aut cù solâ constat. suntque puræ vel mixtæ.

فَاصْرُونَ نَاصِرُونَ بُو بِي بَيْنَ فَاصِرِينَ

Mixta, quæ duabus consonantibus vocali vnâ copulatis, ut بْلِ بْلْ بْلْ میخیا
(quo pertinent literæ cum vocali nunnatâ vt ئِ ئِ ئِ) vbi vides ultimam literam hac notâ (ؑ), quæ tamen non raro imperfectè sic (ؒ) vel sic (ؓ) pingitur, supernè insigniri, cuius nomen est جَزْم Gjezmon, officium vero indicare eam cui superponitur literam syllabam mixtam constituere, & cum præcedente vocali copulari. Inuenies quidem eam etiam literis اوی quiescentibus subinde appositam, ut نَاصِرِينْ نَاصِرُونْ, sed minus bene, vt præter rationes quæ adferri queat, correctissima Alcorani exemplaria eam ipsis locis non habentia abunde confirmant. Sed nec in fine dictionis post نُ quiescens id agnoscit, quia nullum sonum auribus exhibet, vt نَصَرُوا نَصَرُوا نَصَرُوا نَصَرُوا.

Secunda syllabæ mixtæ litera compendii causâ inter scribendum non exprimitur, cùm immediate post se habet aliam sui similem, sed

sed per figuram quandam sequenti appositam commodè repræsentatur, cui figuræ nomen est **تَسْدِيدٌ** *Tesdid*, forma, ista (۷), situs, supra literam, Occidentalibus tamen etiam hac forma (۸) subjicitur, sicut hac (۹), & hac quoq. (۸) subinde superponitur: vt, **ذَرْلُ**, **ذَرْلُ**, **ذَرْلُ**, **ذَرْلُ**, pro **ذَرْلُ**. Duplicat itaque figura ista literam suam, ac omnibus omnino consonantibus communis est, excepto **ج**, quod ut consonans vocali destitui nequit.

Est autem *Tesdid* duplex, *Necessarium* & *Euphonicum*.

Necessarium est, quod adscribitur literæ immediatè ante se vocalem habenti: vt in exemplis allatis.

Euphonicum verò, cuius litera ante se habet consonam vocali de-
stitutam, quæ *Euphonie* causâ in *scriptura* pericens sequenti similem in locum suum substituit.

Estque *Commune* vel *Initiale*.

Illud est quod supra mediam vel ultimam dictionis literam ponitur.

Estque *Deltale* vel *Lambdale*.

Deltale adscribitur literæ post **ه**: vt **وَجْدَنْتُ** *wagjatto*, inueni: **حَمَّادَةً** *hamattum*, *laudatus*.

Lambdale apponitur literis solaribus post **ل** articuli **أَلْ** o n rò no-
minibus præfixi: vt **أَلْرَبْ** *errabbo*, o n e s i o s, **أَلْدَيْنْ** *eddino*, n z e l o s, **أَلْلَهْ** *allaho*, o ə d e: in quo tamen ultimo litera in prioris locum supposita ab ea non differt. Sic Latini pro adtollo dicunt attollo, pro conripio corripio, pro conligo colligo, non pingentes literam euphonice mutatam: alioqui scriberent adtollo, contripio, conlligo: secus Arabes cōfusionis evitandæ gratiâ. **ل** tamen articuli non rarò omittitur, cùm solariis eam sequens **ل** quoque est, ad compendium & scripturæ elegantiam: vt **أَلْهَبْ** pro **أَلْهَبْ** *alhab*, **أَلْلَيْلْ** pro **أَلْلَيْلْ** *alleyl*: quod ob frequen- tem usum perpetuum est in pronomine relatiuo **أَلْدَيْ** *aldy* eiusque fœminino **أَلْدَيْنْ**, & plurali masc. **أَلْدَيْنْ**, (nunquam autem in reliquis casibus

casibus, quia rariores sunt) scribuntur enim pro **الله** أَلْلَهُ ; & semper quoque accidit cùm Articulo præfigitur **الله** أَلْلَهُ ; datiuī casus nota, ne tria Lam concurrant: vt **لِلَّهِ لِلَّهِ لِلَّهِ** لِلَّهِ لِلَّهِ لِلَّهِ nocti, pro **لِلَّهِ لِلَّهِ لِلَّهِ**, **لِلَّهِ لِلَّهِ لِلَّهِ** Deo, pro **لِلَّهِ لِلَّهِ لِلَّهِ**.

Initiale est quod supra primam dictionis literam ponitur, adeoque vltimam præcedentis supplet.

Estque Primarium, aut Secundarium.

Primarium est, quod apponitur literis **لُوْمِبِرْ** immediate ante se habentibus Nun giesmatum, expressum, vt **مِنْ رَبِّكَ** mirrabbibi, à domino suo: vel latens in vocali nunnatâ, vt **قَلْبٌ مُّطَهَّرٌ** Qalbommataabbaron, cor mundum.

Secundarium, quod apponitur cuiuis non gutturali immediate posita post sui similem giezim affectam, vt **مِنْ يَسْتَغْفِرُ رَبِّهِ** men jeftagfir râbbaho, qui petit veniam à Domino suo. vbi similis pro simili tantum ponitur, adeoque nulla soni mutatio inducitur: vnde non video cur id fiat, nisi fortassis ut duæ istæ voces in unam coalescant. Inuenies & interdum tale tesdid post similem vocali affectam, sed minio pictum, quod notat quædam exemplaria id non agnoscere, & me iudice, bene: nullam enim rationem video cur apponatur.

Cæterum tesdid initiale non in quibusvis codicibus reperitur: sed ex regulis positis facile est noscere vbi subintelligendum sit si pictum non compareat.

C A P V T Q V I N T V M.

De literis اوی; وbi de Medde, Hamze, & Veslo.

VI SVM suprà fuit quomodo literæ اوی interdum quiescant, & in naturam vocalium affinium abeant: sed habent & alia quædam particularia, de quibus nunc commode dicetur: ac primò quidem de] .

Huius

GRAM. ARAB. LIB. I.

19

Huius triplex est status; Motus scilicet, Quietis, & Vnionis.

Statum motus obtinet cum ut consona propriâ vocali mouetur: ut
 آن آن آن : in cuius indicium haec figura (۹) hamze, همزة vo-
 cata (pro qua tamen Mauri saepe usurpant punctum flauum vel viride)
 ei adiicitur, sic آن آن آن , quæ tamen ut plurimum solet negligi,
 quod motus eius ex adiectâ vocali facile percipiatur, sicuti contra cā po-
 sitâ l ipsum non raro omittitur, ita ut omnimodè pro eo veniat: quod
 accedit vel liberè, cum videlicet in medio posita habet ante se gjezm, ut
 لَّ يَسْأَلُ & يَسْأَلُ interrogat; quorum primum præstat: vel ne-
 cessariò, cum videlicet habet ante se aliud clif ut مَّا aqua; in أَذْلَرْ
 an monuit? quanquam cum etiam prius elif mouetur in quibusdam co-
 dicibus utrumque per exprimitur hoc modo أَذْلَرْ , vel prius per
 hamze & posterius per l, sic أَذْلَرْ

Mutatur autem Elif mobile in ي vel apposito hamze in muta- canones de Elif mobili.
 tionis illius indicium: secundum hos canones.

Elif in medio dictionis mobile per dsham vel kesre (præcedente vo-
 cali vel elif,) aut per phatha post dsham vel kesre, mutatur in literam
 iis homogeneam id est و vel ي: ut يَوْبُ pascua pro يَوْبُ interrogatus est,
 رَدْ آوْكَ قَالْ dicens, pro قَالْ سَيْلُ vestis tua, pro
 رِّالْ رِّيَالْ مَادِبْ preceptor pro مَادِبْ مُودِبْ , رَدْ آوْكَ .

At particulæ inseparabiles، l dictionibus præfixæ
 non censentur l in medium collocare: ut لَّ يَ patri, يَمْ آن mater? ut plurimus?

Elif mobile in fine dictionis post dsham in و post Kesre in ي mu- II.
 tatur: ut يَسْتَهْزِي irridet, pro يَسْتَهْزِي caleret, pro يَدْفُو . Sed si
 intercedit و vel يَ quiescens manet, per scriptum: ut يَسْوَءُ malus
 est, يَجْعَلُ venit.

C 2

Elif

THOMAE ERPENII

III. Elif mobile post phatha ante I quiescens saepe in و mutatur, sed non adscripto hamze: ut أَادُم homines, pro أَادُم celebri سَمَاوَاتٌ، فَالصُّرُونُ adiuantes, pro سَمَاوَاتٍ ذُواصِرُ .

Atque hæc de statu motus τε I : statum quietis obtinet cum in me-
dio vel fine propria vocali destituitur, ut **ل** : id enim absque eius
quiete fieri nequit, quippe quæ consonantis nihil habere potest nisi
vocalem possideat.

Quiescit autem post Phatha, cum quo vocalem longam constituit: ut
dixit, quæ magis etiam producitur hac figurâ, quæ مَدَدْ Medde
dicitur, superscriptâ, quoties sequitur hamze, ut مَّاqua, قَادِلْ di-
cens: ac breuitatis caufâ tunc interdum non pingitur, ut أُولَيْكَ pro-
illî, quod passim occurrit: sicut لِ nunquam compâret cùm
phatha præcedens in quo quiescit, alterius elif est, ut أُمْنِي pro
credidit; secundum hanc Regulam. Elif quiescens post elif phathatum,
excidit. quo casu, ut phatha istud sciatur longum esse, apponitur in accu-
tè scriptis medde, hoc modo, أُمْنِي, ipso phathâ non rarò omissio, ita ut
medde pro eo & subintellecto لِ adeóque pro a longo veniat: ut أُمْنِي
pro أُمْنِي. quædam tamen Alcorani exemplaria, eaque correctissima,
contenta sunt figurâ تِي phatha perpendiculariter positâ, sic أُمْنِي vel
أُمْنِي: quomodo & illud frequentissimè exhibit ante elif quiescens ex-
pressum, ut مَالِكْ rex مَالِكْ calum: sicut Kesre ante ي expressum hoc

I. modo¹, vt ^{دین} iudicium. Post dshamma autem & kesre vocali destitutū, quo cōmodē quiescat, degenerat in literā iis homogeneā, post dshamma in و, post Kesre in ي, adscripto ² si elif naturā suā est mobile: vt قوْتَلُ pro ایشْنَلُ, occisus est; يَامِنُ ³ pro يُومِنُ, credit; قَابِلُ ⁴ pro قَبْلُ, ایسْنَفُ ⁵ pro ایسْنَفُ, spora. immo ترْزُمُ Tria itaque in yniuersum sunt τρε hamze officia.

II. APP-

1 Appositum $\tau\sigma$ motum eius indicare, siue actualem, si adsit vocalis, vt يَسْأَلُ interrogavit: siue potentialem, si vocalem non habeat, habere tamen interdum naturâ suâ idoneum sit, vt يَأْمُلُ sperat, ab أَمْلُ sperauit.

2 Vice elif mobilis post aliud elif aut gjezm venire: vt أَكَوْدُ aqua, يَسْأَلُ interrogat.

3 Toic & يَ adiunctum significare eas vicarias esse, seu vice elif naturâ suâ mobilis venire: vt يَوْمَنْ credit, يَمْهُلْ يَجْزِرْ cinge.

Vnde patet τ nihil esse aliud quâm seruum τ natura suâ mobilis, quod propterea illius nomine Hamze appellari solet à Grammaticis. Nec alia quod sciam officia habet: nam quòd interdum literis جَعْ apponi, eásque fortificare dicitur, error est.

Notandum autem est elif naturâ suâ mobile cum quiescit propriâ formâ post phatha, vel vicariâ post dsham vel kesre, assumere posse gjezm, contrâ atque in literis quiescentibus fieri debere suprà dictum est: vt $\text{يَأْمُلْ يَوْمَنْ أَيْمُلْ}$: idque propterea quòd non simpliciter quiescit seu vocalem longam constituit, sed locum etiam occupat literæ quæ syllabam mixtam constitueret, atque adeò gjezm necessariè haberet, si robusta esset.

Tertius status $\tau\sigma$ est Unionis, quo nec mouetur, nec quiescit, sed vocali propriâ abiecit omnem sonum amittit: quod ei solum accidit interdum in principio dictionis, cum habet post se gjezm, & ante se vocalem sequilis præfixæ vel vocabuli immediate præmissi, cum qua gjezmata eam sequens in syllabam ynam coalescit: in cuius coalescentiæ indicium hæc figura وَضْلُلُ *Weßon* id est uno vocatur, superne appingitur: vt $\text{رَاسُ الْإِنْسَانِ}$ *râsul insâni caput hominis*, pro بَلَّإِنْسَانِ *bilâsul elinsâni*: بَلَّإِنْسَانِ *bilâsul in homine* pro $\text{رَاسُ الْإِنْسَانِ}$ *râsul elinsâni*. *Weßon* autem non raro omittitur, quòd absentia vocalis $\tau\sigma$ dictam vñionem satis indicet.

Est autem tale Elif triplex:

Verbale, idque Imperii, id est formatuum Imperatiui, ut ^{أَوْصَرْ} ^{adjuva} ^{تُرْكِيَّةً} ^{أَصْرَبْ} verbera: vel Characteristicum in præteritis imperatiuis & infinitiis pentagrammatorum & hexagrammatorum ut ^{اجْتَمَعْ} ^{congre-} gatus est, ^{اسْتَطَعْ} ^{congregare}, ^{اجْتَمَعَ} ^{congregando}, ^{cibum petue,} ^{اسْتَطَعْ} ^{cibum pete}, ^{اجْتَمَعَ} ^{petendo cibum.}

Nominale in subiectis nominibus.

^{أَبْنَى} ^{women}, ^{أَبْنَى} ^{vir}, ^{أَبْنَى} ^{filius}, ^{أَبْنَى} ^{idem quod} ^{أَبْنَى} ^{nates}, ^{أَبْنَى} ^{mulier}, ^{أَبْنَى} ^{filia}, ^{أَبْنَى} ^{iuramentum}, ^{أَثْنَان} ^{duo}, ^{أَثْنَان} ^{vel}, ^{أَثْنَان} ^{due}.

Articulare, articuli آل ^{أَلْ}, ^{هـ، هـ، تـ}, quod pertinet relatiuum in ^{الْذِي} & casibus eius.

In hisce enim omnibus initiale vocali sua priuatur cum sententiam non inchoant, aut ante se assumunt literas seruiles: quin hoc casu ipsum etiam elif non raro excidit, ut ^{بِسْمِ} ^{بِسْمِ} ^{in nomine}: quod perpetuum est in articulo آل ^{أَلْ} quoties ^{أَلْ} seruile praefigitur: ut ^{لِلْهُرْبَ} ^{لِلْهُرْبَ} ^{pro} ^{لِلْهُرْبَ} ^{لِلْهُرْبَ} ^{domino}, ^{لِلْهُرْبَ} ^{لِلْهُرْبَ} ^{Deo}.

Hactenus de Elif: و ^و & ي ^ي duos tantum agnoscunt status, Motus scilicet & Quietis. statum motus obtinent cum more consonantium mouentur vocali, vel propriâ, ut ^{أَدْ} jedon manus, ^{وَدْ} waddôn amor, vel alienâ, consonantis scilicet precedentis ut ^{أَوْ} aw vel, ^{أَيْ} ei id est: quietis autem, cum propriâ vocali destituta quiescunt in praecedente homogeneâ, ut ^{قِيلُوا} ^{قِيلُوا} dicti sunt.

De و notandi canones sequentes.

¶ gies-

و giesmatum post Kesre in ي mutatur: vt قَوْلٌ pro قِيلٍ . sed si con-
tingat Kesre illud poni sub ا vniōnis, & excidere post literam quae Kes-
re non habet , ي quidem in scripturā manet, sed in pronunciatione
reducitur : vt ab اِيْجَلْ time, quod scribitur pro اِوْجَلْ .
و ي فَأَوْجَلْ time, quod pronuntiatur fāgjal, ac si scribeatur
ي دَارْجَلْ pronuntiatur, la ragulugjal, ac si scribeatur
اوْجَلْ اوْجَلْ اوْجَلْ اوْجَلْ
O tu vir time.

Sicuti econtrariò cum excidit dsham ab elif vniōnis post kesre, و
quiescens vt ي sonat.

Sic ي quiescens proprium, & vicarium in simili casu post
dsham sonum و induit.

و finale post Kesre in ي mutatur: vt رَضُوٌ pro رَضِيٍّ cupiuit. II.
و finale post phatha, abiectâ suâ vocali quiescit, in ا mutata si tertia III.
sit dictionis litera: vt عَرَّا pro عَرُو , aut in ي instar elif quiescens con-
uersa si quarta aut ulterior: vt اَعْطَى dedit, pro اَعْطَوْ اَسْتَعْطَى , اَسْتَعْطَوْ
petuit pro اَسْتَعْطَوْ .

و in medio dictionis habens post se aliud و quiescens id expellit: vt IIII.
قَرُورَا , طَاؤُوسُ طَاؤُوسُ legerunt, pro قَرُورَا pauo,

و radicale initio dictionis habens phatha ante aliud و phathatum V.
in ا mutatur: vt اَوْاصِلُ peruenientes, pro اَوْاصِلُ .

و seruile in fine dictionis ne eam terminet adsciscit ا otiosum: vt VI.
رَمْوَنْ adiunuarunt, iecerunt, pro رَمْوَنْ دَصْرُونْ دَصْرُونْ .

De ي sequentes canones obseruandi sunt.

ي post dsham in و mutatur, si vocalem habet, sape: vt رَمْوَانْ pro رَمْوَانْ
رَمِيَانْ

⁽⁹⁾ دُوْسُرُ مُبِينٌ مُوقنٌ confirmans diues
رمیان : si gjezin, semper : vt pro دُوْسُرُ مُبِينٌ مُوقنٌ confirmans diues
est pro يیسر : nisi alteri per tefdid insertum sit vt صَبَرُ constitutus est.

Canones و ي.

- I. ي و ^ي finales post elif seruile in hamze mutantur: ut ^ل لـ pro
 ي و ^ي nates, ^{نـ} نـ pro رـ يـ vestimentum.

II. ي و ^ي mobiles ante literam mobilem positæ immediate post pha-
 tha

tha sēpē in quiescens mutantur: vt قَامْ ^{بَاعُ} stetit pro قَوْمْ vendidit
pro جِمْعٍ. At in حَيْوَةٌ vita, صَلْوَةٌ oratio, رُكْوَةٌ puritas, pro ا
est sed instar quiescens, leguntur enim bajāton, salāton, zacāton: idque
ex eo sciri potest, quod gjezm nullum adscribitur: hæc enim est certis-
sima regula:

